

enberg

ss.

ed. 6

1791







1928 K 944  
322  
6,20  
DE VI  
QVA RES PARVAE AFFICIVNT ANIMVM  
IN PRAECEPTIS DE MORIBVS DILIGENTIVS  
EXPLICANDA

COMMENTATIONIS THEOLOGICAE

*PARS TERTIA*

SECTIO VLTIMA

QVA

AD SOLLEMNIA A MICHAELE  
ANGELORVM PRINCIPE

DENOMINATA

A. C. MDCCCCLXXXVII

IN ACADEMIA VITEBERGENSI

PIE CONCELEBRANDA

PVBlico NOMINE INVITAT

ORDINIS THEOLOGICI

H. T.

DECANVS

D. FRANCISCVS VOLKMAR REINHARD

---

VITEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIJ.

1787



INSTITUTIONS OF THE  
UNIVERSITY OF  
SACSEN-ANHALT  
LIBRARY  
HALL  
MAGDEBURG  
1874





---

DE VI  
QVA RES PARVAE AFFICIVNT ANIMVM  
IN PRAECEPTIS DE MORIBVS DILIGEN-  
TIVS EXPLICANDA  
PARTIS TERTIAE  
SECTIO VLTIMA

---

XXXIX

Quam arduum sit ac difficile, CIVES, virtutem consequi non quidem perfectam, quae sit in suo genere expleta et cumulata, haec enim non cadere videtur in hanc nostram imbecillitatem; sed talem, quae sit studium indefessum, corrigendi quaevis animi vitia, et honestum in omnibus dictis et factis conseruandi: id non modo res ipsa docet, sed etiam paucitas eorum arguit, qui hoc studium in vita ipsa demonstrant. Sunt autem eius difficultatis causae graues et multae, quas nunc omnes enumerare, nihil attinet. In iis haud postrema haec est, quod homines, qui ad virtutem contendunt, negligere solent multa, *parua* quidem illa, et quae imperitiis videntur leuia, sed quae recte vtentibus plurimum prosunt, et faciliorem viam ad praeclara quaevis muniunt. Cum igitur nuper sit a nobis ostensum, *paruarum rerum obseruatione continua carere non posse, qui se suaque omnia bene cognita habere velit atque perspecta; cumque satis sit exposita vis ea, qua res minutae corrumpunt hominum animos, ac vitiorum labe contaminant:* agite, CIVES, progrediamur ad

Q 2

ad





ad reliqua, quae de rebus paruis, earumque efficacia in omni actione ac vita, vti supra proposuimus, dicenda supersunt. Atque in his primum illud est, quod modo admonui, paruarum rerum rationem habendam ab iis esse, qui magnos voluerint profectus in virtute capere, nec posse veram vitae emendationem feliciter succedere, nisi sit animus in multas res paruas acriter intentus. Patet autem hic quoque locus tam late, vt, si vellemus eum perscribere paullo conquisitius, facile possemus ostendere, nullum esse vitium, in quo extirpando impune possit negligi rerum minutarum obseruatio; nullam esse virtutem, cuius incrementa non ex iisdem pendeant. Sed adhibendus est modus. Placet igitur primum docere, nec depelli posse habitus prauos, nec contrahi bonos et laudabiles sine diligentiori cura rerum multarum leuium. Deinde videbimus, quantum in ipso virtutis exercitio valeat earumdem rerum curiosa contemplatio, cum interdum omnis fere praeclare factorum dignitas et honestas iis contineatur. Nec illud denique praetermittendum videtur, incitamenta virtutis multa inesse in rebus paruis et obuiis, quae sint diligenter colligenda, si quis ad virtutem feliciter voluerit eniti.

## XL

Hoc igitur in promptu est, veram vitae morumque emendationem effici duabus rebus; reprimenda scilicet et corrigenda sunt vitia, quae sensim irrepserunt, habitusque prauis omnes eradicandi; agendum quoque omni studio hoc est, vt contrahamus recte faciendi consuetudinem, et consequamur facultatem, quicquid in officio fuerit, celeriter atque sine ulla difficultate peragendi. Sed neutrum feliciter succedet, si neglexerimus parua multa, quae partim in animo latent, partim in rebus externis. Ac primo quidem vani sunt conatus eorum, qui consuetudinem prauam, quam saepe repetitis actionibus confirmarunt, celeriter, et vno quasi impe-

tu

∞) conf. §. XXIX.



tui tolli posse existimant atque frangi. Res ipsa docet, lente  
 procedendum esse in hac causa, et eundem per parua. Atque  
 in iis quidem vitiis, quae corpus ipsum affecerunt, eiusque immuta-  
 tarunt partes et statum, festinata sanatio propterea non habet lo-  
 cum, quod animi propositio non tolli potest corruptio corporis.  
 Huius enim compages sequitur leges sibi proprias, aliamque  
 postulat, si quid turbatum fuerit, curationem. Mollis igitur  
 et delicatus non statim potest graues labores suscipere; ebrio-  
 sus non statim abstinere a nimio potu; gurges atque heluo non  
 statim compescere vim abdominis. Sensim debilitanda est cor-  
 poris consuetudo, cum his animi vitiis coniuncta, et constan-  
 ter saepeque repetitis actionibus paruis tollenda. A paruis mo-  
 tibus, et a moderata virium contentione progrediendum mol-  
 li ac pigro est ad labores magnos et continuos; sensim minuat  
 nimiam potus ac cibi copiam gulosus, sibi que fere quotidie non  
 nihil subtrahat, vt corpus ad ordinem placide reducatur, iterum-  
 que discat parce, continenter, sobrie viuere. Quod enim ple-  
 rosque in emendandis his aliisque ex hoc genere vitiis succes-  
 sus destituit, haud pauci autem eo progrediuntur, vt negent,  
 talia posse corrigi: id inde fit, quod tarditatis, per parua lente  
 procedentis, impatientes in morbos incidunt, vt his, qui a  
 peruersa vitae consuetudine celeriter recedunt, vel inuitis ad  
 pristinam intemperantiam redeundum sit. Nec aliter iis occur-  
 ri vitiis potest, qui haerent in animo. Nam qui aut iracundi sunt,  
 aut superbi, aut inuidi, aut auaritia dediti: ii tum demum ef-  
 ficient aliquid aduersus haec vitia, cum vincere constantia de-  
 creuerint, et indefesso studio, crebrisque conatibus paulatim  
 eorum vim minuērint. — In quo plurimum valebit diligentia  
 in fugiendis vitiorum irritamentis paruis, quoniam, vt est apud poe-  
 tam, y) infirmis causa pusilla nocet. Contrahitur enim saepe pec-  
 cando

Q 3

y) vid. OVIDIVS de remed. Amor. v. 730.





cando *usus quidam irrationalis*, vt QVINCTILIANI verbis vtar,\*) quo fit, vt, si vel minimum accesserit irritamentum, animus celeritate summa erumpat in scelus, et consuetudinis violentia paene inscius abripiatur. Frangi igitur ac debilitari prava consuetudo non poterit, nisi subtraxeris ei omnia, quibus aliquo modo confirmatur et alitur. Sed quotus quisque ita se suaque omnia circumspicit, vt paruas illecebras omnes, interdum latenter animum afficientes, statim agnoscat, sentiat ac fugiat? Insunt autem haec irritamenta partim *in ipsa animi actione*, partim *in rebus externis*. Multi, vt exemplum ponamus e primo genere, frustra laborant in extirpandis inimicitis, negantque posse se odium, quod in alterum habeant, comprimere. Nec mirum est, eorum conatus esse irritos, cum animum non satis reuocent a contemplanda, quam passi sunt, iniuria, sed in eius cogitatione maneat defixi. Est autem hoc humanae menti proprium, vt ad ea, quae ipsi videntur grauia, et saepius obuersantur, siue bona fuerint, siue odiosa, idemtidem recurrat, et a quauis re, opinione citius, ad illa sibi aperiat aditum. Vidi igitur, qui propterea non possent susceptas deponere inimicitias, quod animus, illatae iniuriae memor, e quouis sermone arripere solebat aliquid, quod vel ad vituperationem inimici, vel ad eorum, quibus laesos se putabant, commemorationem duceret. Sed hac ipsa commemoratione ita excandescere solebant atque incendi, vt odium, nondum satis compressum, nouas acciperet vires, atque sic magis magisque inueterasceret. Qui igitur non omni studio in eo laborauerit, vt, cum senserit, animum deferri ad inimici cogitationem, et condolere acceptae iniuriae memoria, ad contemplandas res alias ante se conuertat, quam indignatio moueatur: is profecto nunquam inimicitiae sensum amittet. Quo magis autem omnem inuitationem

\*) *Institut. Orat. l. X, c. 7. §. 11.*



nem ad dolendum vitauerit cura diligens, eo magis inimicitia obliterabitur, ac tandem exstinguetur penitus. *In rebus autem externis*, quis nescit, quot insint prauae consuetudinis alimenta, quae apud incautos et imperitos vehementer augere solent vim mali, animoque aegro nocere. In iracundis quidem saepe res leuissimae mentem in querelas parant. Verissimum est illud PLVTARCHI,<sup>a)</sup> iram non semper habere *ἀρχαῖς μεγάλαις καὶ ἰσχυραῖς*. Saepe *σκόμμα*, inquit, *καὶ παιδιὰ, καὶ τὸ γελάσαι τινά, καὶ τὸ διανεύσαι, καὶ πολλὰ τοιαῦτα πολλὰς εἰς ὀργὴν καθίστησιν*. Haec parua qui negligit, animumque aduersus has illecebras non studiose munit, operam omnem in exstirpanda iracundia frustra consumet. Nec suspicaci feliciter succedet malae consuetudinis emendatio, nisi diligenter cauere coeperit parua multa, quae suspicionem mouent, falsisque coniecturis locum faciunt. Laudanda est *Caesaris* moderatio. Cum enim is, vt vtar verbis *SENECAE*,<sup>b)</sup> *scrinuta deprehendisset epistolarum ad Pompeium missarum ab iis, qui videbantur aut in diuersis, aut in neutris fuisse partibus, combussit*. Noluit igitur opportunitate vti, qua exoptatior non potuisset contingere suspicioso. Sed quis non videt, tum demum corrigi posse peruersam credulitatem, contrabique consuetudinem non facile credendi, cum abstinere didicerit suspicax a minutis illis fallacibusque obseruationibus, quas curiose solet conquirere, et explicare coniectura. Atque hoc modo de ceteris quoque vitiis tantum non omnibus iudicari debet. Nulla enim tere est consuetudo praua, quae non alatur vi et efficacia rerum extrariarum; quae non vndique nonnulla decerpat, quibus emendationis cura impediatur. In sedandis autem perturbationibus animi, in lenienda aegritudine, in minuendo desiderio, in cohibenda libidine, atque omnino in regendis animi commotionibus tum demum aliquid efficiemus,

cum

a) *De cohibenda ira*, p. 454.

b) *De ira*, l. II. cap. 23.





cum mutationes paruas, quibus excitantur, et obseruare mature, et fugere didicerimus. — Nec illud praetermittendum est, in sanandis morbis animi iis, qui a consuetudine praua trahunt originem, vim saepe magnam habere parua quaedam *Remedia*. Prudenter hoc admonet poeta in libello *de remedijs amorum*, in quo petulantius quidem, vt solet, sed vere praedicat vim paruorum rerum, quibus saepe magno possit occurri malo. Exiguus est, adspicere speculum, sed iratis eam rem interdum profuisse, equidem libenter crediderim *Sextio* apud *SENECAM*,<sup>d)</sup> et *Fundano* apud *PLVTARCHVM*.<sup>e)</sup> Ad sedandos animi motus interdum plurimum valent res minimae. Tristes saepe depofuere dolorem, cum aliquid accidisset praeter expectationem, quod animum in se conuerteret, vel risum moueret, vel spem faceret nouam. Omnino in coercendis animi perturbationibus dici non potest, quantum profit, rationes habere praeparatas, quae, cum excitatur animus, succurrant, statimque praesto sint. Possunt autem cogitationes et decreta, quibus in cohibendo commotionum impetu vti debet animus, quaeque a *PLVTARCHO* dicuntur *λόγοι παρόντες οικείοι καὶ συνήθειοι*, esse varii generis, et a quouis ea potissimum deligenda sunt, quae ipsius ingenio maxime fuerint accommodata. Magnam hac in re vim exserunt sententiae breues, e libris sacris decerptae, et animo ita infixae, vt desideratae statim occurrant. Qui autem nihil habuerit, ad quod recurrat, quod quasi teneat, et in quo firmiter possit insistere: is perturbationum vi non poterit non celeriter abripi. Paucis datum est hoc, vt phantasiae ludibrijs, quibus

c) vid. v. 419 sqq. et v. 715 sqq.

d) *De ira* l. II, cap. 36.

e) *De zohib ira*, pag. 455 et 456. Quae aduersus hanc rem disserit *ENGEL*, in libro egregio: *Ideen zu einer Mimik*, part. I, pag. 210 et 212. ea, quamquam de his, quos ira vehementior in rabiem egit, verissime dicantur, tamen ad alios, praesertim ad hos, qui natura clementiores fuerint, vix poterunt traduci.



bus animi commotiones maxime solent augeri, possint resistere. Sed multis id melius succederet, si vterentur praeepto, quod, quamquam paruum videtur, tamen longe saluberrimum est. Sunt nempe visis ac simulacris iis, quibus maxime excitatur cuiusque animus, cum a phantasia fuerint obiecta, adiungendae imagines aliae, quae istorum vim minuunt et frangant. Etenim cum simulacra ea, quae saepe simul obuersata sunt animo, sensim ita quasi coalescant, ut semper alterum recurrat cum altero: facile intelligitur, si quis impedire voluerit, quominus acri rerum specie ad bona opinata persequenda, mala autem eiusdem generis fugienda abripiatur, inprimis hoc agendum esse, ut cum quouis simulacro, ad perturbandum animum apto, copulatum sit in mente quoddam aliud, quod commotionem statim opprimat et exstinguat. Facile commouemur ac perturbamur cogitatione *mortis*; sed qui mature didicerit, in ea re formulis et imaginibus uti, quas libri sacri usurpant de obitu piorum, is non magnopere mouebitur, cum fuerit mortis iniecta mentio. Mori libris sacris est *ὑπάγειν, πορεύεσθαι πρὸς τὸν πατέρα* Ioh. XVI. 5 et 28. *κοιμηθῆναι* 1 Thess. IV. 14. Ioh. XI. 11. *ἀναλῦσαι, καὶ σὺν χειρῶν εἶναι* Phil. I. 23. *ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος, καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον* 2 Cor. V. 8. Quis non sentit, hoc *χαρηντισμῶ* aliquid suauitatis accipere cogitationem mortis, eiusque terrores vehementer minui. Adhiberi autem hoc artificium potest in iis omnibus, quibus phantasia vehementius nos conturbat. Quod multis metum incutiunt tenebrae, id inde fit, quod a pueris adfuefacti sunt spectrorum, lemurum, aliorumque *μορμολυκείων* cogitationem cum iis coniungere; nulla caligo turbabit eum, qui tranquillitatis, quietis, vacationis a labore notionem tenebris adiunxerit. Pauci possunt mentem reuocare a contrectandis voluptatibus prauis, quod cum earum cogitatione non copularunt imagines malorum, quibus libidinosi solent affligi. Haud difficulter phantasiae vim coercebit, qui





idearum apta copulatione effecerit, vt imagines perniciosae statim excitent simulacra alia, quae impediunt, quominus oriatur perturbatio. f) Haec autem parua res, quam ignorant alii, alii negligunt, inprimis commendanda iis est, qui in formanda aetate puerili versantur. Animus enim, cum adhuc tener est et incorruptus, facile ita potest conformari, vt ista idearum coniunctione discat phantasiae ludibriis resistere.

## XLI

Sed rerum minutarum obseruatio diligens non modo prodest in tollendis ac depellendis vitiis: verum etiam in contrahenda recte agendi consuetudine, qua fiat, vt, quidquid in officio fuerit, id possumus celeriter ac sine difficultate perficere. Ac primo quidem satis constat, habitum nullum acquiri sine diuturna exercitatione, quae fere tota continetur actionibus paruis, saepe et indefesso studio repetitis. Δεί μελετᾶν ἐπὶ τῶν μικρῶν, vt est apud ARRIANVM, g) καὶ ἀπ' ἐκείνων ἀρχομένους, διαβαίνουσιν ἐπὶ τὰ μείζω. Hoc autem aliter fieri non potest, nisi sic, vt ea, quae in consuetudinem abire debeant, tractemus quam diligentissime, etiam in minimis curiosi ac solliciti. In quo inprimis cauendum est, ne multae fiant ἐπιστάσεις, et longo interuallo intermittatur contentio; iterum vero accedant ὀρμαὶ καὶ ἐπιτηδήσεις, quibus parum solet effici; tota enim exercitatio procedat, necesse est, λείως καὶ ὁμαλῶς, et assidua esse debet eiusdem studii continuatio. h) Vt enim natura, quidquid gignit, non subito protrudit, sed procreat pedetentim; nec per impetus inaequales, sed actione continua et aequabili ad maturitatem perducit omnia: ita nec γνώμης ἀνθρώπων καρπὸς δι' ὀλίγου καὶ

f) Conf. libellum BLESSIGII aureolum, cuius index est: *zur practischen Seelenlehre, eine Vorlesung*, pag. 64 seqq.

g) *Dissertat. Epictet.* l. I. c. 17. pag. 101.

h) Conf. FLVTARCHVS *de prof. virt. sent.* pag. 76.





ἡ ἐκδωσ nascitur<sup>i</sup>), et virtus quaeque saepe constanterque repetitis actionibus eiusdem generis, iisque, si spectantur singulae, plerumque paruis, et comparanda est, et confirmanda. — Cum autem manare, tamquam a fonte, virtutes omnes debeant a sensibus animi rectis de rebus expetendis, aut fugiendis: *in assumendis his sensibus multum profuerit adhibere minuta quaedam exercitia, quae nemo neglexerit impune.* Etenim cum sensus recti ac boni proficisci debeant a placitis quibusdam de officio hominis eiusque felicitate, quae memoriae penitus infixae esse debent, ut, cum occasio tempusque venerit, iis obsequendi, statim in promptu sint, mentique obuersentur: crebra repetitione opus est, ut decreta illa, siue hausta sint e libris sacris, siue aliunde deprompta, diuturnitate cogitationis atque frequentia efficacius comprehendantur, ac firmiter haereant. Adiuuabitur autem vis memoriae, si decretum quoduis copulare didicerimus cum rebus quibusdam externis, iisque obuiis. Habebit igitur is, qui sensus pios et rectos imprimere fortiter voluerit animo, signa quaedam externa, et quosdam veluti locos (vtar enim hoc verbo, quod veteres adhibere solebant, cum de artificiosa memoria differerent)<sup>h</sup>) quibus commonita memoria reddat et offerat sponte placita, quae ei credidimus. Vehementer commendauit hoc artificium, quod aliis leue videtur, alii ignorant, ipsa prudentia Domini. Is enim ea, quae penitus imprimere mentibus audientium, et admouere fortius volebat eorum animis, ita solebat eloqui, ut imaginibus vteretur ductis a rebus externis et obuiis. Sic enim effici volebat, ut cum signo externo recurreret ipsa cogitatio sententiae, quam ei subiecerat. Plenae sunt orationes Domini exemplis, quae hanc rationem illustrant. Sic, ut vel vnum afferam,

R 2

feram,

<sup>i</sup>) ARRIANVS *Dissert. Epictet.* l. I. c. 15. pag. 86.

<sup>h</sup>) Conf. auctor librorum *ad Herenn.* l. III. inde a cap. 16. et QVINGTILIANVS l. XI. c. 2.





feram, non temere Matth. VI. 26—30. commemorat volucres, flores, gramina; habita enim est ea oratio in monte quodam Galilaeae, vbi ista omnia conspici poterant ab audientibus, et digito monstrari. Illustrauit igitur grauissima religionis capita rebus istis obuiis ac sensibilibus, vt etiam in posterum, earum ad spectu moti auditores, in memoriam redirent eorum, quae isto tempore proposita fuerant. Hoc imitetur, qui decreta graui, quibus vita regi debet et actio, relinquere noluerit arbitrio memoriae. Copulare discat ea, de quibus saepe cogitandum fuerit, cum rebus externis, singula placita his signis ac notis crebra repetitione quasi affigat, eaque signa in locis quibusdam collocet quasi atque disponat. Hac enim parua re efficiet facile, vt decreta, quae in agendo sequenda videntur, nunquam penitus excidant e memoria, sed semper ad manus sint et in promptu. — Hi autem sensus quoniam transferendi sunt ad actionem et vitam, vt quae vel expetenda, vel fugienda putauerimus, ea vere constanterque vel sequamur, vel auersemur: haud paucis, iisque minutis exercitationibus efficiendum est, vt quae ad intelligentiam et memoriam assumpta fuerint, *ea etiam suscipiantur ad animum, nosque regere incipiant.* Hoc autem fit, cum sentire coepimus, nihil iucundius esse, nihil vtilius, quam obtemperare placitis, quorum et veritatem intelleximus, et consensum cum legibus diuinis plane perspiciamus. Iam quia virtus impetus quosdam a natura sumit, eaque mentis nostrae indoles est, vt, nisi malae consuetudinis violentia nos transuersum egerit, ad honesta quaeuis feramur vltro, iisque vehementer delectemur: nulla re magis impellemur, vt amare, quae sunt in officio, et decreta, quae suscepimus, sequi discamus in omni vita, quam obseruatione diuturna, quae nos doceat, *quantopere virtus conueniat cum natura rerum, et indoli nostrae sit accommodata.* Qui intellexerit, temperantiam adhibendam esse in rebus omnibus: is illud decretum admouebit animo, eiusque acerbitatem vehementer minuet,





minuet, si saepe cogitauerit, ea virtute nihil esse posse suauius, quod pacem afferat animis, eosque quasi concordia quadam placet, corpus vero, praetermittendis voluptatibus immoderatis, integrum seruet ac firmum. Colenda simplicitas est, quae malam dissimulationem et occultationem sententiae excludit. Hanc vero tum demum amabimus et colemus, cum sentire coeperimus, naturam ipsam generalisse nos apertos; secum vero pugnare, et vim quandam inferre sibi, qui aliud vultu ac sermone significent, aliud pectore premant; constantiam denique atque fiduciam, quae neminem metuat, nulla re magis adiuuari, quam moribus simplicibus, et expertibus fictionis. Habent autem hoc virtutes omnes, vt optime conspirent cum natura mentis humanae, et is ipse consensus mira iucunditate nos perfundat. Igitur ab hac potissimum parte saepe spectet is, qui placita de omni virtute transferre voluerit ad vitam, virtutem quamque, atque hoc modo efficiat, vt sensim abstergatur omnis molestia. Sed hoc totum constare obseruationibus multis ac paruis, nec locum habere, nisi quis adhibuerit animaduersionem acrem, complexam omnia, quae fiunt et accidunt, vel me non monente vident omnes.

## XLII

*In ipso autem virtutis exercitio multum valere rerum minutarum curiosam contemplationem, ex eo patet, quod omnis fere praeclare factorum et incorrupta sanctitas, et dignitas externa iis continetur. Atque sanctitas quidem singularum actionum pendet, vt iam supra monuimus <sup>1)</sup> a motibus internis et consiliis animi. Quidquid a fonte manat alio, quam ab amore in Deum et homines, quem christiana religio postulat, id, quamquam probetur iudicio hominum, habeatque externam virtutis speciem,*

R 3

ciem,

1) Conf. §. XXXIV.





ciem, tamen perfectum dici, et religionis sanctitati accommodatum non potest. Hanc vero sanctitatem in agendo quomodo tenebimus, si negligentes fuerimus in obseruandis paruis animi motibus, et examinandis momentis omnibus, quae voluntatem, dum agimus, inclinant? Nunquam consequetur integram et perfectam virtutem, qui sensum non acuerit ad animaduertendos motus minimos, a quorum vi et efficacia, quae peraguntur, fere plerumque proficisci solent. Cauendum enim est, cum officio satisfacimus, ne vel vanitate quadam et inani cupiditate gloriae ducamur, vel lucri spes nos impellat, vel anilis quaedam superstitio nos impleat inepta religione, vel turpicula voluptatis appetitio nos alliciat, vel perturbatio denique, et immoderata commotio nos secum abripiat. Solent autem haec omnia nos saepe latenter afficere, vt interdum aut penitus ignoremus, quid potissimum sequatur animus, aut obscure tantum sentiamus, aliquid subesse vitii. Exploret igitur, qui recte agere, qui conseruare voluerit officii sanctitatem, et in ipsa actionis celeritate animaduertere discat omnia, quae fiunt intus, vt subtiliter intelligat, quibus momentis impulsus moliatur omnia, dicat et faciat. Qui autem sensum internum in ipsa actione saepe diligenterque intenderit ad percipiendas mutationes animi omnes: is exercitatione et vsu facultatem sibi comparabit, animaduertendi minima vitia, et omnem agitationem internam ad sanctitatem legis diuinae magis magisque reuocandi. Hoc studium indefessum, vel in minimis curiosum, commendant, vt supra vidimus, <sup>m)</sup> libri facti, cum καρδιαν καθαρον postulanti, et Christianum quemque iubent, ἐγκαταλείψειν ἑαυτὸν, omnemque abstergere atque eluere μολυσμὸν πνεύματος. — *Externa autem virtutis dignitas nulla est, nisi fuerimus etiam in minimis diligentes. Hoc enim omnes vident, eandem actionem laudat-*

<sup>m)</sup> Conf. §. XXVII.



laudabilem perfici posse varie, eiusque dignitatem ratione ac modo, quem auctor tenuerit, vel augeri, vel minui. Est enim virtutis adspectabilis quidam ornatus, qui non recondita quadam ratione cernatur, sed sit in promptu; nec vanum est hoc, quod ad omnem honestatem pertinere dicimus, *decorum*, sed cum virtutis natura ita confusum, vt, si hac pulcritudine caruerit, perfecta esse ipsa non possit. Sed hoc totum, quod in actione externa consentaneum est virtutis excellentiae, multis rebus paruis constat, vnde fit, vt facilius intelligi, quam verbis explanari queat. Videndum enim est, quid in maxima personarum, locorum, temporum et reliquarum rerum varietate cuique conueniat, eorumque, quibuscum viuimus, moueat approbationem. Quanta fuerit Domini in omni actione ac vita grauitas, quanta prudentia, quanta seueritas mixta cum humanitate et facilitate summa, satis docet euangelica historia. Mirum igitur non est, vel inimicos interdum, postquam agentem viderant, et audiuerant docentem, ita captos esse humanitate viri, dignitate vero grauitateque, qua conspicuus erat, ita commotos, vt nocendi consilium abiicerent, eique conciliarentur, Ioh. VII. 44—47. Apostolus autem Phil. IV. 8. Christianos omnes sectari iubet in omni vita ὅσα ἐστὶν σεμνὰ, ὅσα προσφιλῆ, ὅσα ἔυφρημα, quod fieri non potest, nisi, quidquid geritur ac fit, ita fiat, vt cum suauitate quadam ab aliis percipiatur, et spectantibus placeat. Sunt enim parua quaedam, quibus facta, ceteroquin laudabilia, ista dignitate externa priuantur. Quanta est, vt exemplis vtar, in dandis beneficiis, in hortandis, monendis, reprehendendis hominibus, in peragendis iis, quae pertinent ad cultum Dei publicum, atque omnino in iis omnibus, quae in conspectu aliorum fiunt, vis vultus et oris, quantum vel efficit, vel obest vocis intentio ac remissio, totusque corporis motus et status? Nonne beneficii gratiam corrumpit, qui, cum rogatur, frontem adducit, vultum auertit, et, quae dat, super-



superbe abiicit, aut iratus impingit?") Nonne perperam alios monebit, qui non poterit ad cuiusque mores et ingenium se demittere, ac pro tempore ἐνδμίξεν σχήματι προσώπου καὶ τόφω Φωνῆς. Nonne corporis motione gestuque distorto efficitur facile, vt in precibus, atque omnino in caerimoniis publicis et cultu religioso multa videantur ridicula, vel alio modo abhorreant ab oculis spectantium, eosque offendant? At haec, et alia innumera quomodo vitabimus, quomodo consequemur et seruabimus id, quod in quavis re decorum est, et virtutis excellentiae consentaneum, si negligentes fuerimus in rebus minutis? Animum attendere debet ad omnia, et curiosus esse in leuissimis, qui ordinem, constantiam, moderationem in omnibus dictis et factis conseruare, qui transferre voluerit ad vitam et vsum illud Apostoli: πάντα ἐυσχημόνας καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω, 1 Cor. XIV. 40.

## XLIII

Praeternitendum denique nec illud esse videtur, *incitamenta virtutis multa inesse in rebus paruis et obuiis, quae diligenter collegendae sint, si quis ad virtutem feliciter voluerit eniti.* Primo enim ipsa rerum natura ita est a summo opifice constituta, et omni tempore administratur, vt incredibili pulcritudine ac varietate vinculis, apta inter se atque connexa, non modo facile conuertat in se animum, verum etiam ordinem, constantiam, moderationem in agendo commendat nobis, omnisque pulcri ac perfecti sensum excitet et alat. Quot igitur et quanta habebimus incitamenta, sensus concipiendi pios et honestos, et praeclaram quaeuis sectandi in omni actione et vita, si contemplari naturam, et quae Deus per eam docere, monere, inculcare voluit, intelli-

n) Conf. SENECA de beneficiis l. I. cap. 1.



intelligere didicerimus! Circumdati sumus rebus externis, quae, quod ante oculos versantur quotidie, non possunt, si paullo attentiores fuerimus, in animum non influere, eumque leniter flectere; e quibus igitur decerpi vndique possunt, quae virtutis studium adiuuent, animum erigant ad Deum, et ad honesta quaeuis incendunt. *Pythagorei*, vt est apud ANTONINVM, mane, praecipiebant, suspiciendum esse caelum, ἢ ὑπομνησκόμεθα τῶν αἰεὶ τὰ ἀντὰ καὶ ὡσάντως τὸ ἑαυτῶν ἔργον διαγινόντων, καὶ τῆς τάξεως, καὶ τῆς καθαρότητος, καὶ τῆς γυμνότητος. Recte illi quidem hoc monebant; quis enim non miretur aquabiles astrorum impetus? quem tranquilla caeli serenitas et γυμνότης, quae tum maxime placet, cum nullo tegitur nubium velamento, non moveat, homini, qui rationis vtatur beneficio, compescendas esse immoderatas animi perturbationes, ac malae dissimulationis tegumenta penitus exuenda? Sed talia virtutis incitamenta non modo in magnis illis naturae operibus insunt, quae animum vehementius afficiunt, sed etiam in rebus minimis, quas plurimorum imperitia contemnere solet ac negligere. Nihil fere est in vniuersa rerum natura, quod attento non possit prodesse ad virtutem. Legant, qui hunc naturae vsum in exercenda pietate et confirmanda perspicere voluerint, cum omnino libros sacros, qui pleni sunt imaginibus pulcerrimis, monitisque utilissimis, ductis illis a rerum externarum praesstantia et ornatu; in primis autem penitus imbibant sermones Domini, quorum plurimi referti sunt talibus praeceptis. Nullum enim fere tractauit Dominus religionis locum, quem non exornaret imaginibus, a rerum extrariarum indole petitis; in quo saepe ad minima quaeuis se demisit, et leuissima egregie transtulit ad exercitium pietatis. Collegit e sermonibus Christi, quae huc pertinent, HESSIVS, p) et qui imitari voluerit eam Domini consuetudine

o) Conf. lib. IX. cap. 27.

p) V. liber egregius: *Ueber die Lehren, Thaten und Schicksale unsers Herrn*, p. 81, 199. et in primis p. 207, 199.





tudinem, is profecto ubique inueniet, quae profint, quae motus pios excitent, quae verae virtutis studium alant atque incendant. — Haud minora incitamenta ad amorem studiumque virtutis continentur *mutationibus iis, quae vitae quotidianae cursum efficiunt*, et in quibus, quamquam leues sint, et ab imperitis contempnantur, haud raro latent saluberrima monita. Laudatur non immerito *Socratis artificium*, qui potuit ἀπὸ τῶν πραγμάτων λόγους ἐνεῖσκειν,<sup>2)</sup> hoc est, a rebus, quae cum maxime gerebantur, paruis saepe ac vix memorandis, progredi sensim differendo ad vtilissima praecepta, eaque ex his, quae vel agebantur, vel acciderant, elicere. Quam sapienter eandem docendi, admonendi, cohortandi ἐνκαιρίων obseruauerit Dominus, ut nihil tam quotidianum, nihil tam leue esset ac paruum, quo non posset uti ad excitandos sensus pios, et ad inculcanda grauissima praecepta, sexcenti loci librorum demonstrant, quos de eius rebus ac vita reliquerunt Euangelistae. Hoc igitur discamus imitari, si proficere voluerimus; idque faciamus non quidem eo consilio, ut simus fatui, et male seduli monitores aliorum, et in communi vita arripiamus occasionem quamque, sensus effundendi pios, et his, quibuscum versamur, iniquo loco ac tempore praecepta nostra ingerendi; satis enim constat, quam aliena sit illa importunitas a prudentia, et ab integro religionis amore; sed nobis profint, quae fieri videmus, nos impellant, ut animum tacite vel erigamus ad Deum, vel cauere discamus malorum illecebras, quae saepe praeter opinionem quaerunt aditum, vel denique virtutis amorem alamus et confirmemus. — Interdum *casus ipse* nonnulla offert, quae ad virtutem ducant. Obiiciuntur enim saepe praeter expectationem nonnulla, quae nos faciant attentos, quae et cogitandi materiam prae-

2) Conf. *DIOGENES Laert.* I. II. segm. 29.





praebent, et pectus impleant sensibus honestis ac piis, nosque efficaciter feriant. Hoc fit inprimis tum, cum, quid aliis accidat, et quem exitum habeant eorum consilia et instituta, siue bona fuerint et laudabilia, siue vituperanda et mala, paullo curiosius animaduertimus, ea vero, quae per orbem terrarum geruntur et eueniunt, non aliena a nobis putamus, sed diligenter perpendimus, vt, quid nobis prodesse, nos monere, cautiore facere, excitare possit, inde sumamus. Sic et conuersatio bonorum virorum saepe nihil tale opinantes excitat et emendat. *Occursus mehercule ipse sapientium, verissime scribit haec de re SENECA, \*) iuuat, et est aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias. Nec tibi facile dixerim, quemadmodum proficit sic, vt illud intelligam profuisse. Minuta quaedam, vt ait Phaeton, animalia, cum mordent, non sentiuntur; adeo tenuis illis et fallens in periculum vis est; tumor indicat morsum, et in ipso tumore nullum vulnus apparet. Idem tibi in conuersatione virorum sapientium eueniet; non deprehendes, quemadmodum, aut quando tibi proficit, profuisse deprehendes. Haecenus ille.* Ac profecto si vera sunt, quae Christiana religio praecipit de prouidentia Dei, rerum omnium ac vicissitudinum, minimarum quoque, sapientissima moderatrice: nihil accidere hominibus, nihil tangere animum per sensus potest, quod non eo consilio admissum sit a Deo et institutum, vt sit materia exercendae virtutis, et vel dubios atque inclinabiles in prauum reuocet ad rectum, vel bonos confirmet et ad maiora perducatur.

## XLIV

Quae haecenus disputata sunt, ea satis, ni fallor, docent, magnos in virtute profectus capi non posse, nisi fuerimus intenti in res paruas multas, easque tum ad corrigenda vitia, tum ad confirmandam teneram imbecillemque virtutem contulerimus.

S 2

Sed

\*) Ep. XCIV.





Sed hac rerum minutarum obseruatione nec is facile caruerit, qui in virtute iam protecit. *Cum enim tuenda sit virtus et sollicitè custodienda: facile intelligitur, id non posse fieri sine acerrima diligentia, quae nihil negligat, nihil paruum putet.* Nam hoc in promptu est, conseruari virtutem non posse, nisi fuerimus muniti aduersus illecebras malorum, quae saepe latenter se insinuant, et animum opinione citius ad vitia praeparant. Scilicet in iis quoque, qui virtutis studio dediti sunt, *status animi* interdum ita comparatus est, vt habeat sceleris quandam veluti comminationem, quam is, qui sibi non semper conscius fuerit mutationum internarum omnium, et attentionem, minima quaeque complexam, paulisper remiserit, non sine maximo periculo negliget. *Epietetus* apud *ARRIANVM*, vt iam supra obseruauimus, hanc negligentiam et incuriam, quae interdum optimo cuique obrepit, *μικρὰν* appellat *ἀποσεροφῆν λόγῳ*, et recte obseruat, si quis hoc modo dormitauerit, facili negotio fieri posse iacturam et euerfionem eorum omnium, quae antea magno studio collecta fuerint. Causae vero, quae efficiunt, vt interdum vel boni viri aduersus malorum illecebras non satis sint muniti, et praeter opinionem abripiantur ad flagitia, a quibus sibi videbantur alienissimi, sunt generis varii, nec a virtute sua defendet magna pericula, qui mentem non diligenter acuerit ad animaduertendas res leues multas. Primo enim *res externae* interdum leniter nos afficiunt, et multa saepe earum simulacra illabuntur simul. Hoc vbi fit, omnis animi attentio facile traducitur ad ea, quae sensus pulsant, et cum suauitate quadam ad eos affluunt; auertitur autem ab appetitibus, qui istis imaginibus sollicitantur, et ad perpetranda scelera nos praeparant. Iam nisi quis, cum ita fuerit affectus, et multis rerum extrariarum simulacris distractus, mature ad se redierit, et animaduernerit, aditum quemdam patefactum esse vitii; facile, vbi minimum accesserit irri-

tamen-

3) Conf. §. XXII.



tamentum, vel improuisa temporis et loci opportunitas peccandi occasionem ostenderit, appetituum violentia abreptus ruet in scelera, et vno tempore perdet, quae sigillatim ac diu collegerat. *Davidis* casum, qui hoc modo grauiter lapsus est, iam supra commemorauimus;\*) plena autem est omnis historia similibus exemplis. Etenim atrocissima flagitia haud raro sunt ab iis commissa, qui non parum et sibi, et aliis in virtute videbantur profecisse, et quos parua incuria, parua *αίποροφῆ λόγῳ*, rerum extrariarum leni motu effecta, imprudentes pessumdedit. Et quis est, qui non ipse talia pericula adierit saepius; qui inopinato rerum extrariarum nexu illectus, interdum non fuerit procliuis ad peccandum et praeparatus, ac vere lapsus esset, ni vel defuisset occasio, vel aliquod impedimentum casu cohibuisset ruentem iam et incitatum. — Accedit *ipsus corporis vis in animum*. Quis enim nescit, e corpore exsistere multa, quae acuant mentem, multa, quae obtundant, atque omnino tantam esse vim eorum, quae in corpore fiunt, ad habitum mentis, vt aegritudines, irae, libidines haud raro inde proficiscantur. Sed haec tyrannis, quam corpus exercet in animum, et quam vel optimi sentiunt, non semper nos impellit vehementiori impetu, qui statim excitet attentionem, et efficiat resistendi propositum. Plerumque leniter flectunt animi statum cupiditates corporis, sensimque mutant in peius, vt imperiti, qui non didicerunt, se suaque omnia diligenter obseruare, saepe nesciant ipsi, quomodo exarserit, ac tam subito aucta fuerit praua quaedam libido. Nonne igitur etiam is, qui aliquantum in virtute processit, facile poterit omnia perdere, si negligentior factus non curauerit primos istos ac paruos cupiditatum motus et comminationes, a corporis contagione excitatas? Quid enim impediat, quominus pronus ruat in scelera, si animum, hoc modo ad peccandum praeparatum, inuitauerit aut locus opportunus, aut tempus, aut irrita-

\*) Vid. §. XXII.





mentum quoddam aliud? Monendus est, qui virtutem, quam comparauit sibi, sollicitè tueri voluerit, vt, quantum fieri possit, ea quoque, quae corpus molitur, omni tempore diligenter animaduertat, caecosque stimulos, quibus saepe latenter laesit animum et pungit, mature discat retundere. — Denique *vehementiores animi cupiditates*, quae nondum satis sunt repressae ac debilitatae, sed interdum liberius erumpere conantur, saepe praeter expectationem efficiunt etiam in bonis viris praeparationem illam ad scelera, eamque *μικρὰν ἀποσοφὴν λόγῳ*, de qua haecenus dictum est, et quae virtuti vehementer nocet, si neglecta fuerit. Etenim cupiditates, quae aliquamdiu liberius dominatae sunt, etsi ab his, qui virtutem colere incipiunt, coercentur omni cura, tamen diu retinere solent vim nimiam, et facili negotio iterum sollicitantur. Quo magis igitur aucupantur quasi omni tempore erumpendi locum, et quo celerius arripunt, quae ipsis obiecta fuerint, omnia: eo magis curandum est, si conseruare virtutem ac tueri voluerimus, vt, si qua cupiditas olim in nobis fuerit vehementior, huius potissimum motus, minimos quoque, diligenter obseruemus, ne imprudentes secum auferat. Qui olim nimio ducebatur studio gloriae, vel pecuniae, vel procliuus ad inuidiam fuerat, ad fraudes, ad calumniam: is, quamquam exercitatione ac diligentia represserit ea vitia, tamen summam adhibere curam debet, ne, occasionem nacta, vires resumant, iterumque prorumpant. Quis igitur non videt, quantum sit in custodienda virtute rationem habere etiam minimarum rerum, quae nocere possint, et ad peccandum allicere? Atque in hoc cernitur *vigilantia* illa, quam, vt supra vidimus,\*) omni modo commendat atque inculcat Christiana religio. Acri enim sollertia, quae semper excubet, quae

in

\*) Vid. §. XXVII. Addenda est praeclara *Epicæti* apud *ARRIANVM* disputatio super hac re l. IV. c. 12. qua nihil esse potest verius, nihil grauius atque vilius.



in partes omnes intendat aciem, quae vicissitudines omnes cum externas, tum internas contempletur et curet, tali, inquam, solertia opus est ei, qui cauere voluerit, ne virtus, in animo nata, iterum intereat.

## XLV

Sed virtus quoniam *conseruari non potest, nisi perpetuo crescat et augeatur*: sequitur, *vt nec de hoc incremento recte iudicaturus sit, nec feliciter in virtute progressurus is, qui paruas animi mutationes, et minuta quaedam signa neglexerit, e quibus de vniuerso animi statu coniectura facienda est.* Primo enim constat, integrum verae virtutis studium esse debere animi vehementem et assiduam occupationem, quae nunquam cesset, nunquam languescat et intermittatur. Neque enim otium agere interdum licet ei, qui virtutem confectatur, et, quae exercitatione ac labore collegit, custodire vult et roborare. Iam lapsus est ac deterior factus, qui in via ad virtutem desierit progredi, et ad maiora tendere. Vt enim hi, qui per ardua enituntur, si semel contentionem remiserint, cum impetu retro feruntur, nec facile cohibere se, et, quo loco volunt, possunt insistere: ita is, qui iam profecit in virtute, si negligentior factus fuerit, opinione citius, vel in pristina vitia reuoluetur, vel incidet in alia et noua. Hoc ipsa autem, vtrum progrediamur, an facta sit quaedam cessatio, iudicari aliter non potest, nisi sic, vt parua multa, quae sentit animus, et agit, diligenter obseruemus. Videndum igitur est, vtrum ea, quae in studio virtutis olim non sine magna difficultate peragebamus, iam facilius succedant et expeditius; vtrum officia, quae olim acerba videbantur ac molesta, placere incipiant, ac nonnihil oblectationis habere; vtrum errores leues, et vitia quaedam minuta, quae ob paruitatem olim a nobis solebant negligi, et expertia culpae videri, iam grauiora habeantur, ac displiceant vehementius; vtrum habitus prauus, qui olim pertina-





pertinaciter haerebant, sensim minuantur et euanescaunt; vtrum  
 commotiones animi, siue tabificae fuerint, siue hilariores, con-  
 quieuerint, et facilius, quam antea, sedari possint; vtrum ea,  
 quibus olim facile sollicitabatur praua libido, viam suam ami-  
 ferint, nosque leuiter tantum afficiant. Haec et alia multa,  
 quae nunc sigillatim commemorare non vacat, consideranda  
 sunt ei, qui scire voluerit, vtrum proficiat, nec ne. Iam cum  
 ista omnia tam parua sint, vt non nisi ab eo animaduerti et iu-  
 dicari possint, qui nunquam desinat attente circumspicere omnia,  
 quae intus fiunt ac mutantur: facile intelligitur, custodiri virtu-  
 tem sine diligentia, quae vel in minimis curiosa sit, non pos-  
 se. — Quoniam porro *in habitu posita virtus est*, ii vero, qui  
 negligentiores fiunt tardioresque ad exercitationem, facile vel  
 comparatum habitum iterum amittunt: quis non videt, *ad vir-  
 tutis cuiusque conseruationem maxime requiri hoc, vt illud actionum ge-  
 nus, quod ad quamque pertinet, suscipiatur saepe, ac sine intermissione  
 continuetur.* Sed haec exercitatio perpetua fere tota constat re-  
 bus et actionibus minutis. Saepe reuocanda sunt in animum  
 placita, quae vitam regere debent; diligenter ponderanda mo-  
 menta, quibus in agendo ducimur; nulla praetermittenda oc-  
 casio, quae virtutis exercendae locum det; saepe consulto fa-  
 ciendum periculum, vtrum tolerare, quae molesta videntur,  
 vel abstinere te ab iis possis, quae vehementius expetuntur.  
 Nunquam desinet, qui, quae sibi studio et labore peperit, noluerit  
 perdere, etiam tum, cum nullum exsequendum est munus of-  
 ficii, quod necessitas et tempora postulent, cogitare, sentire,  
 moliri, agitare nonnulla, quibus aut vitia, quae adhuc super-  
 sunt, corrigantur, aut alantur sensus honesti, aut virtutis amor  
 confirmetur et augeatur. Sed huic assiduae occupationi is de-  
 mum recte vacabit, qui minima quaeuis in vsum suum conuer-  
 tere, et vndique aliquid decerpere didicerit, quod proficit et  
 adiuuet. — Admonendum denique etiam illud est, conser-  
 uari





uari virtutem non posse, *nisi in excolendis partibus eius singulis adhibeatur modus quidam, omnique studio caueatur, ne, cum quasdam sectamur, negligamus reliquas.* Nihil autem est, in quo homines sapientius peccent, quam in demonstranda prudentia, quae semper mediocritatem tenet, et inter nimium et parum caute consistit. Nam eorum, qui virtutem aliquam diligentius instituunt colere, nonne facile extra modum prodit impetus, et in vitium incurrit contrarium? Magnum enim est et arduum, recte nosse et diligenter obseruare certos illos fines, *quos ultra citraque nequit consistere rectum.* Si quis igitur non fuerit bene exercitatus ad videnda et iudicanda parua quaeuis discrimina, incidet pae-ne inscius in vitia, cum ad virtutem contendit, et praeclara ausus, peccabit. Qui parsimoniae operam dant, facile delabuntur ad auaritiam; qui communes esse volunt, et humani, non semper satis bene personam tuentur, quam sustinent; liberales nonnunquam temere profundunt, quae sapienter collocare debebant; qui seueritatem demonstrare volunt, haud raro incidunt in duritiam et inexorabiles fiunt. Quis non intelligit, hac in causa res minutas saepe maximum habere pondus, nec modum tenere, et virtutis praestantiam conseruare posse, qui non minima quaeuis sentire subtiliter et animaduertere didicerit. Accedit inprimis hoc, *virtutem veram semper adesse debere totam,* et partes eius omnes ita cohaerere, vt diuelli nullo modo possint. Verissimum enim est illud CICERONIS,<sup>\*)</sup> *virtutem nihil aliud esse, quam in se perfectam et ad summum perductam naturam.* Scilicet integra virtus omnes complectitur rectas animi affectiones, et qui eam consecutus est, is datas a natura vires ita perfecit et exercuit, omnes autem impetus naturales ita regere didicit, vt omni tempore talem se praestet, qualis esse et debet, et per suam naturam potest. Est igitur in eo, qui integram habet plenamque virtutem, qui est, vt cum scriptura loquar,

T

\*) De Legib. l. I. cap. 8. §. 25.





quar, τέλειος καὶ ἐλόκληρος Iac. I. 4. Matth. XIX. 21. mirabilis quidam reſtarum animi affectionum concentus, mirabilis eorum omnium, e quibus conſtatur et efficitur honeſtum, in omni actione ac vita temperatio, et aequabilis quaedam miſtio. Perit enim virtutis praefantia, ſi qua ipſius pars ita excolitur, vt reliquis officiat, et ſublata ſit iuſta proportio. Sed quantum ſit et quam difficile, reſtas animi affectiones omnes non modo comparare ſibi, et vniuerſam mentis indolem perficere exercitatione et ſtudio, ſed coniungere etiam virtutes ſingulas atque ita miſcere, vt conſpirent inter ſe et aptae ſint, vt altera alteram adiuuet, et omnes vnā efficiant atque conſentientem animi praefantiam, hoc, inquam, quantum ſit, et quam difficile, pauci ſatis intelligunt, pauciſſimi in vita ipſa tantae rei rationem habent. Quis enim neſcit, quanta ſit multitudo eorum, qui ſibi videntur boni, et virtutem veram conſecuti, quod in vna alteraue eius parte excellunt, et quibusdam officiorum generibus diligenter ſatisfaciunt; cum tamen alia aut plane negligant, aut ſatis perfunctorie tractent. Hoc inprimis ii faciunt, qui ſunt natura ad aliquam virtutem procliuēs, eamque haud difficulter exercent. Hi enim fere ſemper non tantum excedere modum in eo ſolent, ad quod ſponte feruntur; verum etiam vehementer ſibi in ea re placent, quamquam reliqua moleſtiora officia deſerant. Nec mirum eſt, plurimos hoc modo delinquere. Etenim ad virtutem integram et abſolutam qui contendit: is debet omnem animi ſui indolem, et ſtatum eius vniuerſum accurate cognitum habere et perſpectum, ad videnda vero minima quaeuis ſenſu praeditus eſſe tam acri, vt nihil ipſum lateat, vt ſtatim et ſubtiliter animaduertat, ſi quid in motibus internis et in omni actione diſcrepet, et a concentu, quam vera virtus poſtulat, abhorreat. Quodſi igitur ſine hac attentione, quae ad omnia pertinet, omnemque mentis ſtatum, ac viciffitudines eius minimas complectitur, vera virtus adoleſcere



re in animo et confirmari nequit: satis, putamus, effectum esse, nec eum, qui *tueri* velit bona, labore et exercitatione parata, carere posse cura, quae se demittat ad parua, et per haec ad maiora contendat.

## XLVI

Veniamus denique ad vltimum, quod supra proposuimus, et ostendamus, *eos etiam, qui velint vera uti ac perpetua animi tranquillitate, oportere rationem habere rerum minutarum, quae saepenumero aut perturbant animum, aut exhilarant atque confirmant.* Hic autem sumimus, quod omnes facile concessuros esse putamus, animi tranquillitatem existere ex eo, si quis ita possit omnes commotiones animi moderari, ut felicitatis sensum nunquam penitus extinguant. Hoc autem fit duobus modis; *fugienda sunt ea, quae nos facile turbant, et peccus aduersus eorum vim diligenter muniendum; colligenda etiam sunt omnia, prudenterque adhibenda, quae commotum animum ad quietem reducere, et efficere possunt, ut moderatam in omni re seruare discamus constantiam.* Sed vtrumque parua feliciter succedet, si neglexerimus res minutas. Primo enim dici vix potest, *quot res leues et paruae apud incautos excitent libidines, formidinesque vanas, et omnem tranquillitatem funditus tollant.* Quod enim homines plurimi fere perpetuis agitantur motibus, et raro sunt a perturbatione vacui, eius rei causa non semper est in euentibus magnis, qui etiam fortem et constantem virum possint aut metu, aut desiderio ac spe implere, sed plerumque in mutationibus paruis, et rebus obuiis, quae vel plane contemni debebant, vel certe non magnopere curari. Admonuimus iam aliquoties, iram, odium, inuidentiam, zelum et perturbationes multas alias, quibus, quasi tempestatibus, quatitur animus quotidie, excitari vulgo rebus paruis et leuib. Videndum igitur est, ne mollitudini nostrae nimis indulgeamus; audeamus potius, cum leues res et minutae nos





sollicitauerint, celeriter resistere, et animum magis magisque obfirmare. Nihil autem est, in quo maiorem diligentiam adhibere debeat is, qui animo tranquillo esse vult, quam in *spe ac metu*. Ac *spe* quidem tolli tranquillitatem, praesertim si bonum, quod exspectamus, sitienter expetatur, et adiunctus sit quidam metus, nemo non videt. Atqui spes plurimae et fallacissimae excitantur, si verum fateri volumus, rebus leuissimis. Pronus enim est animus ad expectationem eorum, quae vehementius optat. Arripit itaque cupide, quidquid spem aliquam facere videtur, rebusque minimis, modo faueant excitatae libidini, vim tribuit maximam. Nec possent profecto toties falli spes nostrae, nisi nimis credulae essent, et opinionibus niterentur longe fallissimis. Commotionem igitur molestam, quae cum quavis spe sollicita solet esse coniuncta, et aegritudinem, quae nos affligit, cum spes inanes euanescent, tum demum vitabimus, cum diligentius obseruare coeperimus vim rerum multarum leuium, quibus interdum paene inscii in spem quandam adducimur. Videndum igitur est, cum animus sic erigitur, vnde sit orta, quam concepimus, exspectatio, et qualia sint, quae desiderijs nostris blandiantur, et confidentiam afferant. Etenim quo diligentiores fuerimus in examinandis ac ponderandis iis, quae in spem quandam nos inducunt: eo magis patebit, spes nostras plurimas esse vanas, et effici saepe rebus leuissimis, quas contemnere incipit animus ipse, cum propius inspectae et curiosius exploratae sunt. — In *metu* autem plurimum valere minima quaeuis, quis ignorat? Eos, qui natura timidi sunt, re quavis parua commoueri, satis constat. Idem accidit tum, cum bonum aliquod vehementer amamus. Metuit enim, qui ita affectus animo est, fere semper, ne quid accidat, quod rem, tantopere dilectam, ipsi eripiat; quare saepe sine causa trepidat, leuissima suspicione, et vana quavis periculi specie perturbatus. Plurimas autem et vanissimas formidines *superstitio* efficit. Haec enim cum  
occu-



occupauit animum atque oppressit, nihil est tam paruum ac leue in vniuersa rerum natura, quod non possit sollicitudinem afferre, et curis angoribusque diurnis et nocturnis miseros premere. Egregie tractauit hoc argumentum PLVTARCHVS in libro *de superstitione*,<sup>1)</sup> et est hoc, vt facile docere possemus, si id iam ageremus, omnibus superstitionis generibus commune, vt ad minima quaeuis obseruanda, exploranda et interpretanda conuertant animum, atque sic inani metu impleant et discrucient. Haec vero pestis eo diligentius vitanda est, quo facilius nos afficit, et nonnunquam imprudentibus nocet. Nam, bone Deus, quot opiniones ridiculas, quot commenta superstiosa suscepimus collegimusque mature, cum per aetatem nondum recte possemus iudicare! Has opiniones, diurnitate temporis confirmatas, homines plurimi, cum adoleuere, ne animaduertunt quidem; multos vero, qui eas euellere conantur, successus destituit, quod nonnunquam ipsa ratio parum efficit aduertitur non est, maximam hominum multitudinem fere penitus carere vera animi tranquillitate; cum alii omnia cum superstiosa sollicitudine et miseria credant, et vbiq; metuendi causas inueniant; alii, quamquam nonnulla superstitionis genera contemnunt et rideant, tamen dediti sint aliis, saepe non minus ridiculis ac perniciosis. In quo quantopere lapsi sint omni tempore vel eruditissimi viri, satis docet historia. Quot autem molestiae, quot angores et cruciatus inanes ab hoc vno fonte dimanent, et magnos etiam, nec illiteratos viros per omnem vitam miseros reddere possint, vel vna docet, vt iam alia testimonia praetermittam, vita CARDANI, Mediolanensis, et quae is de se ipse professus est.<sup>2)</sup>

T 3

XLVII

1) *Opp. Tom. II. pag. 164. sqq.*

2) *Vid. HIERONYMI CARDANI Mediolanensis de propria vita liber, e bibliotheca GAB. NAVDAEI, Amstel. 1654.*





Atque hic non alienum erit, paucis attingere rem, quam olim ipsi sumus experti, et quae, nisi nos omnia fallunt, etiam aliis, imprimis autem hos, qui fuerint natura ἐυφρανταίωτοι, saepe vel falsa formidine anget, vel vana spe ludet. Ducimur itaque naturali quadam cupiditate, in rebus iis, quarum euentus incertus esse videtur, *captandi signa quaedam et omina*, e quibus futura cognosci, et, quid vel metuendum, vel sperandum sit, probabiliter possit conici. Vim autem maximam exserit haec futura praecipendi libido in iis hominibus, qui ob imbecillitatem non tam id sequuntur, quod ratio in quauis re suadet, quam obscuro quodam sensu regi malunt et impelli. Hi enim cum aliquid agitant, cum deliberant, cum sunt solliciti de successu eorum, quae decreuerunt et instituunt, arripere solent mira cupiditate res quasque leuissimas, quas vel casus obtulerit, vel locus et tempus suppeditauerint, hasque reuocant interpretatione quadam ad coniecturam de iis, quae ipsis sint euentura. Sic orta est vniuersa *diuinitio*, imprimis autem genus id, quod artificiosum appellabant veteres, totum illud in coniectura positum, atque in obseruatione diurna. Sic etiam in hominibus singulis facile existit inepta quaedam diuinandi libido, quae, quamquam res leuissimas consectetur, et stultissime coniectet, tamen vitam saepe reddit satis acerbam, quod partim vanas formidines, partim spes excitat longe fallacissimas. Equidem bene memini, me, in aetate puerili constitutum, hoc diuinationis genere diu ante vti, quam, quid sit diuinitio, e scriptoribus vetustis didicissem. Nihil tum agitare solebam, nihil suscipere, nihil expectare, in quo non omina quaedam caperem, et, quidquid in promptu esset, vel accideret, ad euentus futuri significationem varie traherem. Vidi postea, cum adoleuisset ratio, eiusque consuetudinis vanitatem intelligere coepissem, ad animam falsis terroribus, et inani formidine vexandum, nihil efficacius esse  
hoc



hoc errore, et ab hac parua re, tanquam a fonte, dimanare magna mala. Nec dubito, esse multos, semperque fuisse, quos idem error deceperit. Mirabar, cum in iis, quae de vita sua reliquerunt et confessi sunt AVGVSTINVS <sup>a)</sup>, CARDANVS <sup>b)</sup>, RVSSOVIVS <sup>c)</sup>, alii, similia legerem; quorum simplicitatem et candorem in scribendo si plures imitarentur, facilius posset intelligi, quam late pateat hoc malum, et quantam vim habeat ad perturbandos hominum animos. Nec errabimus, si multos eorum, qui perperam sentire putabant instinctum aliquem et inflatum diuinum, hac potissimum via ad eum furorem peruenisse credamus. Nam quid impedit, quominus is, qui a pueris captauit omina, praefertim si vehementior in eo fuerit vis phantasiae, et euentus coniecturam, vt fit, interdum confirmauerit, tandem credere incipiat, agi se et moneri diuino quodam spiritu; qua in re sibi vehementer placet ad vanitatem procliuis mens humana. <sup>d)</sup> Sed etsi non semper eo progreditur haec tacita priuataque diuinandi libido, vt superstitionem fanaticam efficiat: tamen monendi sunt omnes, vt has ineptias, quae, dici non potest, quam facile in consuetudinem abeant, diligenter vitent. Acerbam profecto et inani metu plenam haec parua res facit vitam eorum, qui, quam vanum sit hoc totum, rationis bene

- a) Multa ex hoc genere passim reperiuntur in *Confessionibus viri*; locus vero inprimis notabilis est *lib. VIII. cap. 11 et 12.*
- b) Conf. *Vita eius*, quam supra iam laudauimus, et quae plena est istius superstitionis vestigiis. Cognoscenda sunt inprimis ea, quae *Cap. XLI. XLIII. et XLVIII.* de se narrat CARDANVS.
- c) In *Confessionibus Part. II. pag. 164* sqq. vers. Germ. qui locus, cum in eum incidissem, dici non potest, quantopere me commouerit, quod puer ratione prorsus simili saepe desipueram.
- d) Legat, qui mentis humanae imbecillitatem accuratius nosse cupiat, opus eruditum, cuius auctor esse fertur ADELUNG, *Vir Celeberr.* et cuius partes quatuor iam prodierunt, inscriptae: *Geschichte der menschlichen Narrheit.* Continet is liber vitas multorum, qui hoc modo lapsi sunt, et refertus est non modo doctrina varia et copiosa, sed monitis etiam praeceptisque longe vilissimis.





beneficio nunquam perspicere discunt. Alii vero, quamquam iudicare coeperint rectius, tamen non semper poterunt impedire, quominus interdum sentiant infractionem quamdam animi ac demissionem, quae ab illa pristina consuetudine profiscitur. Sed haec hactenus; reuertamur in viam.

## XLVIII

Res igitur paruae, quae fugiendae sunt propterea, quod turbare solent animi tranquillitatem, non modo *excitant*, vt hactenus ostensum est, commotiones, a recta ratione auersas: sed *excitatas alunt etiam et augent*; quod qui vel ignorauerit, vel neglexerit, perperam laborabit in sedandis perturbationibus, et efficienda placida quietaque animi constantia. Inprimis autem commotiones eae, quae dicuntur *tabificae*, vndique solent arripere nonnulla, quae vim mali augeant, et grauiorem morbum faciant. Cum enim sua natura non agant, vt perturbationes hilariores, cum impetu et celeritate quadam, sed tardiores sint: nihil fere solent praetermittere, quo possint nutriri, sed minima quaeque consectantur. Exemplo esse potest *angritudo*. Quid enim est tam paruum ac leue, quo animus aeger et affectus non offendatur, quo non abuti soleat ad augendum dolorem? Quid non conquirunt ii, qui sunt in luctu? Nonne, quod sua voluntate maerent, studiose colligunt omnia, quae dolorem augeant et foueant? Hinc fit, vt solitudine delectentur, et recessus petant. Ibi redeunt in memoriam eorum omnium, quae pertinent ad mores et vitam eius, cuius obitum lugent; ibi minima quaeuis repetunt, quae ille dixit, fecit, passus est; ibi saepe magnam noctis vel diei partem in eius imagine exigunt; ibi congerunt omnia, vilia quoque et parua, quae is reliquit, quibus olim vsus est, quae contrectauit, et his fomentis paulisper acquiescunt. Sed quis non intelligit, haec omnia non extenuare molestiam, non diluere, sed, quamquam sint leuia,



tia, tamen alere dolorem et identidem renouare. Efficacissimae sunt, vt SENECA recte monuit\*), ad vexandos lugentium animos recentis conuersationis notae; vigebit igitur dolor et habebit quamdam viriditatem, quamdiu haec parua confectatus fuerit, et studiose congregauerit. Similis ratio est ceterarum perturbationum, quibus tabescit animus, et quae cum aegritudine quadam sunt coniunctae. Metum enim, sollicitudinem, amorem, zelotypiam, inuidentiam, aliasque commotiones, quae, quod sunt quietiores, insidunt quasi in venis ac medullis, et perfinaciter haerent, infinita paene rerum minutarum vi ali et confirmari, sciunt omnes, qui cum se, cum alios paullo curiosius obseruauerint. Discant itaque, qui animi tranquillitatem conseruare vouerint, circumspicere omnia, quae motus turbidos et inimicos rationi possint efficere, semperque meminerint, in his esse etiam parua multa, quae eo diligentius vitanda sunt, quo facilius lateant, et incautos decipiant.

## XLIX

Cum autem indolentia, quae nihil sentiat, nec vlla re vehementius commoueatur, non cadat in naturam humanam, sed sit in animis nostris tenerum quiddam et molle, quod rebus externis patet, earumque vi et impetu facile quatitur: *colligenda quoque sunt omnia, prudenterque adhibenda, quae commotum animum ad quietem reducere, et efficere possunt, vt moderatam seruare discamus constantiam.* Atque in his perturbationum remediis etiam parua multa sunt, quorum vis ad commutandos hominum animos saepe longe maxima est. Non neglexerunt hoc rhetores vetusti, qui in praeceptis de *insinuatione* omnia retulerunt ad hoc, vt auditores, quibus ab aduersario aut fides sit facta, aut qui audiendo defessi sunt, a defensore re quadam, parua quidem illa, sed noua, et quae audiendi studium iterum incendat, reddantur *beni-*

V

e) In Consol. ad Helu. cap. 15.





beniuoli, attenti ac dociles.<sup>f)</sup> Recte enim viderunt, saepe re parua, si praeter expectationem accidat, repente in contrarias partes rapi hominum animos, et motus suscipere plane diuersos. Hoc etiam iis interdum proderit, qui in compeſcendis ac sedandis animi sui commotionibus laborant. Interdum enim *casu* nonnulla eueniunt, quae, si prudenter vsurpantur, affecto animo opem ferunt, eumque subito tranquilliant. *PLUTARCHVS* *Diogenem Sinopensem*, auctor est,<sup>g)</sup> cum aliquando in magnam tristitiam incidisset, et iam esset in eo, vt philosophandi consilium abiiceret, ac reuerteretur ad luxuriam mollitiemque Atheniensium, subito confirmatum esse, et animum iterum erexisse, cum adrepere vidisset murem, et colligere cum voluptate micas mazaе, quae supererant de tenui philosophi coena. Paruum hoc erat, quis neget; sed extenuabat molestiam, quod praeter expectationem contigerat, ac repente sensus excitauit dignos homine libero, qui praestare continentia ceteris animalibus debet. Sic vel occurſus et adſpectus magnorum virorum, qui diligentia, virtute, constantia e miseris et obscuris beati ac nobiles facti sunt, saepe animum addidit adolescentibus ingenuis, conflantibus cum aduersa fortuna, eosque noua spe exhilarauit. Quantum valeant leuissima quaeque ad comprimendos motus vehementiores, bene intellexit *Hypatia, Alexandrina*, mulier in philosophicis et mathematicis versatissima. Haec, auctore *SVIDA*, cum de auditoribus quidam eam deperiret, pannaos, mensibus foedatos, ei ostendit, et dixit: *hoc quidem amar, o iuuenis*; eumque hoc modo sanasse fertur.<sup>h)</sup> Iram et indignationem maximam haud raro repressit iocus quidam inexpectatus, et facete dictum, quod risum moueret; et quantum

<sup>f)</sup> Vid. v. c. quae auctor librorum *ad Herenn.* hac de re praecipit l. I. c. 6. §. 10.

<sup>g)</sup> *De prof. virtut. sent.* pag. 77. 78.

<sup>h)</sup> Conf. quae in *Historia mulierum philosopharum* de hac femina congeſſit *MENAGIVS* pag. 494. lqq.



tum etiam in maioribus causis, quae agebantur coram magna multitudine, huic rei tribuerint oratores veteres, in permouendis hominum animis artifices maximi, intelligi potest ex iis, quae de iocis ac facetiis praecipui solebant ab his, qui artem dicendi tradebant. *Nihil tam facile, ait CICERO,<sup>1)</sup> quam multitudine, a tristitia, et saepe ab acerbitate, commode, ac breuiter, et acute, et hilare dicto deducitur.* — Sed infinitum esset, omnia persequi, quae in vita quotidiana solent accidere, et, quamquam videri queant leuia, tamen, si diligentiam adhibuerimus et curam, ad tranquillandos animi motus commode possunt transferri. — Nec expectandum semper est, donec casus nobis opem ferat. *Consulto possunt conquiri parua quidem, sed non contemnenda perturbationum remedia.* Dominus, vt iam supra monuimus, curas et angores animi leuare nos iubet contemplatione naturae, et spectare volucres, flores, gramina. Si tristitia vehementior occupauerit animum, quod aut spe quadam decidimus, aut damnum aliquod passi sumus: iuuabit, commoda ea, quibus adhuc fruimur, diligenter et numerando quasi per censere, ne minimis quidem praetermissis. Nam vt taceam, auerti sic animum et reuocari a cogitatione mali, quod tristitiam efficit: in ista copia bonorum, quibus cumulati nobis videbimur, si omnia diligenter fuerimus complexi, non pauca erunt, quae animum vehementius moueant, nosque paullatim ad hilaritatem reducant. Quid leuius videri potest garrulitate ac blanditiis infantum? Sed quoties haec parua res aegritudinem maximam leniit? Quis ipse expertus est, quam vere ac sapienter hoc genus solatii *Heluidiae* matri commendet *SENECA.*<sup>k)</sup> Temperare mihi non possum, quin locum elegantissimum adscribam: *respice, inquit, Marcum, blandissimum puerum, ad cuius conspectum nulla potest durare tristitia; nihil tam magnum, nihil tam recens in cuiusquam pectore fuerit,*

1) *De Orator.* l. II. c. 83. §. 340.

k) *In consolat. ad Helu.* c. 16. pag. 94.





rit, quod non circumfusus ille permulceat. Cuius non lacrimas illius hilaritas supprimat? cuius non contractum sollicitudine animum illius argutiae soluant? quem non in iocos vocabit illa lasciuia? quem non in se conuertet, et abducat infixum cogitationibus illa neminem satiatura garrulitas? — Sunt autem haec, et alia multa, quae ex hoc genere possemus afferre, nisi modum academicae scriptionis iam dudum supergressa esset haec disputatio, sunt, inquam, haec omnia minuta, et a multis putabuntur leuia. Veremur etiam, ne in colligendis his rebus et explicandis putidam nonnullis videamur adhibuisse diligentiam. Neque enim deerunt, qui tantum studium, tamque multam operam in tali causa non esse ponendam, arbitrentur. Sed contra hos copiosius dicere, nec va-  
cat, nec necesse est. Liceat potius hoc totum, quod de vi, quae res paruae efficiunt animum, in doctrina de moribus diligentius explicanda, haecenus disputauimus, verbis finire poetae:

*Forsthan haec aliquis (nam sunt quoque) parua vocabit:*

*Sed quae non prosunt singula, multa iuuant.*

*Parua necat morfu spatiosum vipera taurum,*

*A cane non magno saepe tenetur aper.*

*Tu tantum numero pugna; praeceptaque in unum*

*Contrahe; de multis grandis aceruus erit. —*

Vos vero, CIVES OPTIMI, quorum causa haec differenda fuerunt, vehementer hortamur, vt solemnia, quae nomen acceperunt a Michaele Archangelo, nobiscum caste, pie, religiose celebretis, et caerimoniam academicam, inter sacra publica hoc die perendam, praesentia, modestia, liberalitate denique vestra exornatam dare velitis; ita valet. P. P. d. XXIX. Sept. 1717.





Wittenberg, Diss., Erg. bd. 6, 1783/91

ULB Halle

003 922 553

3




5b.


WD/P











1920 K 944

322

6,20

DE VI

QVA RES PARVAE AFFICIUNT ANIMVM  
IN PRAECEPTIS DE MORIBVS DILIGENTIVS  
EXPLICANDA  
COMMENTATIONIS THEOLOGICAE  
PARS TERTIA  
SECTIO VLTIMA  
QVA

AD SOLLEMNIA A MICHAELE  
ANGELORVM PRINCIPE  
DENOMINATA  
A. C. CIOIOCCCLXXXVII  
IN ACADEMIA VITEBERGENSI  
PIE CONCELEBRANDA  
PVBLICO NOMINE INVITAT  
ORDINIS THEOLOGICI  
H. T.  
DECANVS  
D. FRANCISCVS VOLKMAR REINHARD

---

VITEBERGAE  
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRI,

1782

